

54. *Quest. 4.* An peregrini possint dispensari ab Episcopis loci, ubi sunt, tam in legibus communibus, v. g. jejunii, & abstinentiæ ab opera servili, quam in particularibus, v. g. in voto, & juramento. R. ex communi sententia, peregrinum dispensari posse ab Episcopo loci, modo ibi sit cum animo permanendi per majorem anni partem. Ratio est, quia ex illa diuturna mora contrahitur *quasi domicilium*, vi cuius ille subjacet Episcopi jurisdictioni: ergo sicut obligatur legibus loci, ita & gaudet ejus privilegiis. Neque Episcopus tunc dispensat ratione consuetudinis, aut conniventia Episcopi proprii illius Peregrini, sed ex propria, & ordinaria auctoritate, quam exercet in omnes subditos illius loci, quales sunt quicumque domicilio, aut quasi domicilio perfruuntur. Unde conferre illi potest dispensationem omnium facultatum, etiam quoad Sacramenta, præter Ordinem, ut monet Sanch.

#### CAPUT V.

*De modo, quo servandæ sunt leges.*

55. *Quest. 1.* An charitas necessaria sit ad impletionem præcepti? R. neg. nisi præceptum in substantia sua caritatem includat, ut est præceptum amoris Dei. Ratio est, quia tantum præcipitur substantia actus inclusi in præcepto, v. g. ut honore afficias parentes; non vero finis, aut modus præcepti, ut docet S. Th. 1. 2. q. 100. art. 10. De cetero certum est, requiri ca-

ritatem, ut impletio præcepti meritoria sit ex illo ad Cor. 1. c. 13. *Si linguis hominum loquar... nihil mihi prodest.* Unde si quis jejundet, vel sacro intersit ob vanam gloriam, satisfacit præcepto, licet peccet contra naturale præceptum, prohibens illum finem. Simili ratione impletur votum, juramentum, poenitentia Sacramentalis, & similia ex fine vitioso facta, modo finis ille non pertineat ad substantiam præcepti. Nota tamen, damnatam esse ab Alex. VII. prop. istam: *qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Et merito, quia valor Confessionis includitur in substantia præcepti.

56. *Quest. 2.* Quænam intentio requiratur ad satisfaciendum præcepto? R. 1. requiri voluntatem exequendi rem præceptam, quia impletio præcepti est actus humanus, conjunctus cum libertate, ac voluntate operantis, proindeque stare nequit sine animo deliberato agendi id, quod præcipitur. Hinc præcepto audiendi sacri non satisfacit, qui sacro intersit vel dormiens, vel ebrius, vel nesciens quid faciat, vel omnino coactus, quia jam non est actus humanus, & voluntarius. Dixi omnino coactus; quia si famulus, v. g. ex metu domini, vel puer ex timore magistri Sacrum audiat, alias non auditorus, licet ex prava illa voluntate peccet, præcepto tamen facit satis; eo quod metus non tollat voluntarium.

57. R. 2. Ad implendum præceptum necessaria non est intentio illi satisfaciendi. Ratio est quia lex tantum præcipit liberam rei præceptæ executionem, v. g. auditionem sacri, non

vero, ut alio peculiari actu quis velit, vel intendat præcepto satisfacere. Hinc si ignorans hodie esse diem festum, sacro intersis, satisfacis præcepto. Neque opus est, ut placet nonnullis, ut postea festum esse animadvertens, velis satisfacere per Missam auditam, quum jam impleveris substantiam præcepti. Ita S. Thomas, & communiter TT. Imo votum, juramentum, & pœnitentiam Sacramentalem implevit, licet animum implendi expressum non habuerit, qui opera promissa, vel injuncta fecerit, modo ea pro re alia non aplicaverit. Est ratio, quia vota, juramenta, cet. sunt leges quasi peculiare, quas homo sibi, vel alteri imponit, quæ tantum obligant ad substantiam actionis.

58. R. 3. Præcepto quoque satisfacit, qui opus exequitur etiam cum animo expresso non satisfaciendi. Est sententia communissima cum Suarez, Val. Vazq. quos sequuntur Salmant. Tournely, Pontas, aliique RR. Probant autem ratione validissima; quia præcepta tantum obligant ad substantiam operis injuncti: ergo non est in potestate operantis, ut non satisfaciat. Hinc qui attente legit horas, licet non ea, quæ voluit, devotione, ideoque animum habuit repetendi, etsi deinde non repetat, præceptum adimplevit. Idem dictum esto de eo, qui sacro interfuit, licet præcepto satisfacere non intenderit, re vera tamen satisfecit; etsi ex prava illa voluntate peccaverit.

59. Objiciunt Navarrus, Azor, & alii: actus humanus non operatur ultra mentem operantis: ergo præceptum non implet ille, qui no-

lit implere. 2. qui debet alteri centum, debitum non solvit, quamvis illi det sponte, & liberaliter ducentos. 3. voto obligatus ad sacrum audiendum, voto non solvitur, si nolit votum adimplere. R. adagium illud intelligi de rebus iis, quæ sunt in potestate operantis; at præcepto satisfacere, non pendet a voluntate agentis, sed a libera positione rei præceptæ. Atque hinc patet discrimen inter solutionem voti, ac debiti, & satisfactionem præcepti: siquidem illæ obligationes proveniunt ex voluntate promittentis, qui sicut debitorem sese sponte exhibuit, sic in debito manere potest quandiu velit. Non sic obligatio parendi legi, quæ cum oriatur ex ipsa lege, lex autem non agat ultra substantiam præcepti, non est in cujusquam potestate, illi non satisfacere, semel ac rem præceptam libere ac sponte exequatur.

60. *Quæst. 2.* An duplici præcepto per unum actum possit satisfieri? R. posse, nisi contraria sit mens præcipientis. Sic qui obligatur ad horas ratione Ordinis, & Beneficii, non nisi semel tenetur recitare. Sic cum in diem Dominicam festum aliud incidit, non teneris audire duo sacra. Dixi, nisi *alia sit mens præcipientis*. Quare pœnitens non satisfacit injunctæ sibi Sacramentali pœnitentiæ, v. g. per jejunium alias debitum, quia alia censetur esse mens Confessarii; nisi ex ejus verbis, aut ex circumstantiis aliud constet, quia subinde Confessarii injungunt opus alias præceptum. In materia justitiæ, in qua semper attenditur æqualitas rei ad rem, nequis uno actu solvere duplex debitum, v. g. si ex damno

illato, & ex emptione debeas centum, semel dando centum, justitiæ non satisfacis, cum non sit æqualitas solutionis ad debitum.

61. *Quæst.* 4. An diversis actibus possit quis duplici præcepto satisfacere eodem tempore? R. affirmat communis sententia, modo unus actus alium non impediatur, nec attentio uni debita tollat alteram; quia dum res aliqua præcipitur, temporum diversitas non præcipitur. Unde licet eodem tempore audire Missam, & Horas recitare, & utrique præcepto satisfacere. Sic qui tenetur audire duas Missas, potest eas simul audire, si in diversis altaribus celebrentur, modo possit utrique simul attendere, nec aliud constet de mente præcipientis.

#### CAPUT VI.

##### *Quænam excusent a transgressionem præcepti.*

62. *Quæst.* 1. Utrum a peccato excuset ignorantia? R. 1. ignorantia vincibilis, hoc est, earum rerum, quas scire quisque potest, ac debet, non excusat a culpa. Est certum apud omnes; quia cum ignorantia hujusmodi sit homini voluntaria, ei ad culpam imputatur. Proinde transgressio præcepti, quæ ex ignorantia tali procedit; saltem in causa voluntaria est, adeoque peccatum est. R. 2. si ignorantia sit omnino invincibilis a peccato excusat; quia nemo peccat, nisi actu voluntario; hic autem cogitationem requirit, vel saltem dubitationem aliquam de eo, quod quis scire tenetur. Unde resolvitur.

1. Si quis die jejunii, nihil cogitans de præcepto, cœnet, aut vetitos cibos edat, reus peccati non est similiter in aliis, ut si occidas hominem, putans esse feram, &c.

2. Si in aliqua re tantum advertas malitiam unius generis illam solum contrahis, v. g. si quis feminam cognoscat, quam nescit esse consanguineam, incestum non committit. Atque hæc vocatur ignorantia facti.

63. Quod attinet ad ignorantiam juris, certum est, neminem posse invincibiliter ignorare prima principia juris naturalis, neque ea, quæ illis sunt proxime conjuncta, aut conclusiones immediatas a primis principiis deductas. Quod vero sine culpa ignorari possint aliqua, quæ continentur in lege naturali, sed quæ aut obscura sunt, aut a primis principiis remota, est sententia comunis TT. cum S. Thoma, Antonino, Bonaventura, & confirmatur ex secunda Baji propositione, damnata ab Alex. VII. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.* Et altera ejusdem Baji ab eodem Alex. proscripta: *infidelitas negativa in iis, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Vide Auctoris dissertationem super hoc argumento eruditissimam.

64. *Quæst.* 2. Num ignorantia excuset a pœna, legi annexa? R. qui invincibiliter ignorat legem, excusatur a culpa, & ab illius pœna. Contra vero, qui scit legem, sed ignorat pœnam illi annexam, a pœna non excusatur. Est ratio, quia pœna statuitur ob culpam:

ergo qui tollit culpam, tollit & pœnam propriam. E contrario qui sciens legem, eam transgreditur, culpam admittit, ob quam pœna statuta est: ergo licet pœnam ignoret, illius reatum non effugit. Excipe, si pœna sit gravissima, excedens meritum criminis, aut sit censura Ecclesiastica, quam ignorantibus non incurrunt, nisi ignorantia sit crassa, vel culpabilis, ut constat ex c. 2. *de const. in 6.*, quia censura postulat contumaciam, seu virtuales contemptum legis. Imo si Censura imponatur *præsumentibus*, sive *temere, consulto, scienter* peccantibus, tunc excusat ignorantia etiam crassa, non vero *affectata*; quia hæc æquivalet scientiæ, & includit virtuales contemptum, cum quis studiose negligit scire legem, ut liberius agat.

65. *Quæst. 3.* An metus excuset a legis transgressione? R. 1. metus quantumvis gravis, v. g. mortis non excusat a culpa in iis, quæ sunt intrinsecus mala, seu prohibita lege naturali. Ratio est, quia ea in quavis hypothesis mala sunt, & aliunde metus non tollit voluntarium, licet illud minuat, proindeque minuat peccatum. Itaque ne ad tuendam quidem vitam propriam licet unquam mentiri, fornicari, cet.

66. R. 2. Metus prudens gravis damni excusat a peccato in iis, quæ non obligant cum gravi damno. Talia sunt præcepta humana, etiam Ecclesiastica, quæ per se non obligant cum periculo vitæ, vel similis incommodi, ut observatio jejunii, festi, cet. licet ea per accidens obligare possint cum vitæ periculo, ut si

inobservantia cederet in odium fidei, & contemptum Religionis. 2. aliqua præcepta positiva, etiam Divina, ut intere confiteri, implere votum, aliaque hujusmodi. Imo sunt aliqua præcepta naturalia afirmativa, quæ non obligant cum propriæ vitæ periculo, v. g. servare depositum alterius, succurrere proximo extreme indigenti, ec.

67. *Quæst. 4.* An qui non potest totum præceptum implere, partem ejus implere cogatur? Affirmo, si res præcepta sit hujusmodi, ut commode dividi possit, & in ejus parte integra servetur ratio præcepti. Secus vero si res præcepta indivisa sit, nec in ejus parte salvetur finis præcepti. Hinc resolves hos casus—

1. Qui non potest legere omnes horas, debet dicere eas, quas potest. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc thesim: *qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* 2. Qui non potest jejunare, debet abstinere a carnibus si potest, & e contrario qui non potest abstinere a carnibus in die jejunii, debet servare formam jejunii, ut declaravit Bened. XIV. 3. qui potest commode audire magnam partem sacri, tenetur, licet totum audire non possit. 4. qui solus Officium Divinum recitare nequit, potest autem cum alio commode recitare, tenetur; alioquin non obligatur. 5. qui vovit limina Apostolorum adire, aut ædem Lauretanam visere, si sciat se pervenire non posse, non tenetur iter aggredi; quia nec finis, nec ratio præcepti servatur.

68. *Quæst.* 4. Quid, & quotuplex sit interpretatio legis? R. interpretatio legis est ejusdem sensus explicatio, quæ triplex est: *authentica*, *usualis*, & *doctrinalis*. Prima dicitur, quæ cum auctoritate fit vel ab ipso Legislatore, vel ab ejus Successore, vel Superiore. *Usualis* est illa, quæ usu, & consuetudine recepta est. *Doctrinalis* est declaratio legis, quæ a viris doctis, & peritis fieri solet. Quod attinet ad interpretationem *authentica*m disputari solet, an declaratione facta a Pontifice, vel ab alio Principe, leges indigeant nova promulgatione, ut subditos obligent. Distinguere hic oportet declarationes legis *pure* tales non ab aliis, quæ *pure* tales non sunt, sed potius legis interpretationes. Primi generis sunt eæ in quibus declaratur sensus, qui jam tum ab initio in lege fuit certe comprehensus; v. g. cum dubitatur, an sub filii nomine veniat quoque spurius, an non? legislator autem declarat intelligi quoque spurium. Secundi generis sunt declarationes sensus, qui clare non imbibitur in lege, ut cum declaratur nomine *Patris* intelligi etiam avum, nomine *mortis* venire mortem civilem, quæ minus propriam significationem accipiunt.

69. His positis, dicimus cum Suarez, Vazq. Salmant. & Theologis aliis: declarationes legis *pure* tales non indigent nova promulgatione, ut obligent; talis enim declaratio non est lex nova, sed explicatio sensus, qui clare in lege continetur. Contra vero declaratio sensus, qui in lege obscure tantum aut dubie imbibitur, indiget quidem promulgatione; tunc enim ipsa no-

vam inducit obligationem, nec ex vi primæ promulgationis poterat intelligi mens Legislatoris.

70. *Usualis* interpretatio vim habet legis, cum consuetudo dici soleat *optima legum interpretatio* ex c. 8. de *consuetud.* Non ita *doctrinalis* interpretatio, cum non fiat ab eo, qui jurisdictionem habet; verum si in eam Doctores omnes, vel maxima, & sanior pars eorum consentiat, magnam habet auctoritatem. Non licet tamen legem interpretari, cum id ab ipso legislatore prohibetur, ut docent Salmant. & alii. Aliquando vero solum vetantur interpretationes frivolaræ, & contrariæ legi: sic a Trid. prohibetur interpretatio S. Scripturæ contra sensum Ecclesiæ.

71. Regulæ ad leges rite interpretandas sunt 1. ut attendatur mens, & finis legislatoris, ita ut si constet de istius mente, illi potius standum sit, quam verbis legis. 2. inspicienda est ratio ipsius legis. 3. nisi contrarium constet de mente legislatoris, verba accipienda in sensu proprio, obvio, & naturali. 4. in dubio fiet interpretatio pro valore actus. 5. lex pœnalis, & onerosa stricte interpretanda est ex reg. juris 49. in 6.: *in pœnis benignior interpretatio est facienda*: in favorabilibus vero late est facienda.

72. *Quæst. ult.* An lex extendi debeat de uno in alium casum ob puritatem rationis? R. 1. si ratio non sit eadem, sed tantum similis, docent DD. non esse faciendam extensionem, nisi casus in lege solum exprimatur exempli

causa: sic lex imponens pœnam furantibus certum aureos, certe comprehendit etiam furantes rem ejusdem pretii. Quod si ratio non tantum similis sit, sed omnino eadem, communis sententia affirmat, extensionem fieri debere, secundum tritum illud effatum: *ubi eadem est ratio ibi eadem currit legis dispositio*. Ratio autem est, quia mens legislatoris colligitur ex legis ratione, quæ est veluti legis anima: videtur ergo Legislator voluisse comprehendere casus omnes, ubi eadem ratio reperitur. Ita Suarez, Layman, cui subscribit Roncaglia de leg. c. 2. q. 4. Negant alii, quia ratio legis non est ipsa lex, & legislator potuit unum præcipere, alium casum non comprehendendo, licet ejusdem sit rationis, cum sæpe non expediat omnia præcipere, aut prohibere. Hæ tamen sententiæ conciliari possunt, ita ut lex de uno in alium casum extendi debeat, quando nisi extendatur, legislator argui posset vel de injustitia, vel de imprudentia; tunc enim casus ille non tam extendi dici potest, quam comprehendi in lege. Et in hoc conveniunt etiam auctores secundæ sententiæ.

73. Id autem evenire dicunt 1. in *correlativis*, ut viro, & uxore; quod enim de uno sancitum est, censetur etiam de alio, si ratio sit eadem. 2. in *æquiparatis*, ut sunt electio præsentatio, provisio ad Beneficium. 3. in *connexis*, ut sunt Diaconus, & subdiaconus. 4. in *contentis*, ut sunt Vicarius Episcopi & Vicarius Capitularis, Sede vacante; filia, & neptis. 4. in *judiciis* ex leg. 12. ff. de leg. Cum in aliqua causa est similitudo rationis, tenentur iudices juxta men-

tem legis sententiam ferre. Tandem cum lex decernit aliquid causa frequentioris usus, ipsa comprehendit etiam usum minus frequentem. Hinc lex S. Pii. V. permittens monialibus egressum propter incendium, & lepram, aut epidemiam, extenditur etiam ad ruinam domus, inundationem, & invasionem hostium, ut communis fert DD. sententia apud Mazzota Tract. de leg. disp. 2. cap. 3.

74. Reliquum est, ut pauca subjiciamus de legis epikeja, quæ definitur: exceptio alicujus casus particularis, qui ex adjunctis prudenter judicatur sub lege non comprehendi. Ut locus datur epikejæ, non solum debet lex cessare *negative*, ut ajunt, quatenus deficit finis legis, sed etiam *contrarie*, nempe quod lex reddatur in eo casu vel damnosa, vel nimis onerosa. Quare potest negari ensis depositus domino, si ille sit abusurus, ut cum S. Thoma docent Salmant. Sufficit autem in lege humana, & positiva, etiam Divina, si lex aliter redderetur nimis dura: sic ab auditione sacri excusatur, qui timet notabilem jacturam bonorum: sic lege jejunii non obstringitur, qui sine gravi valetudinis incommodo jejunare nequit.

## CAPUT VII.

### De Dispensationibus, & deficientia legis.

75. *Quest. 1.* Quid sit dispensatio, & quibus conveniat dispensandi potestas? R. dispensatio est relaxatio legis, seu exemptio a legis